

A mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in operibus pietatis. Vnde de temetipso per quen-
 dam tuum seruum dixisti, Miserationes eius super omnia opera eius. Et quasi de singulo lo- *Psal. 144.*
 quentem de uniuerso populo tuo te dixisse confidimus, Misericordiam autem meam non *Psal. 88*
 dispergā ab eo. Nullū enim spernis, neminē abijcis, neminē perhorrescis, nisi forte qui amēs
 te exhorruerit. Ergo modo iratus non percusis, sed te iritantibus dona, si quieuerint, tribuis.
 Deus meus cornu salutis meæ & susceptor meus, ego infelix, ego te iritauī, ego malum corā
 te feci, furorē tuū prouocaui, iram promerui, peccaui & passus es, deliqui & adhuc sustines.
 Si pœniteo, parcis: si reuertor, suscipis: insuper dum differo, præstolaris. Reuocas errantem,
 inuitas repugnantem, expectas torpentem, amplexaris redeuntē. Doces ignorantem, mœ-
 rentem mulces, à ruina suscitās, post lapsum reparas, petēti largiris, quærētī inueniris, & pul-
 santi aperis. Ecce domine deus salutis meæ quid opponā nescio, quomodo respondeā igno-
 ro, nullum abs te confugium, nullum abs te patet latibulum, ostendisti mihi bene uiuendi
 uiam, & gradiendī scientiam dedisti, minatus es mihi gehennam, & pollicitus es mihi para-
 disī gloriam. Nunc pater misericordiarum & deus totius consolationis, confige timore tuo
 carnes meas, quatenus quæ minaris, metuēdo euadam: & redde mihi lætitiā salutaris tui,
 ut quæ spondes diligendo percipiam. Fortitudo mea domine, firmamentum meum, deus
 meus, refugium meum, & liberator meus, suggere quid de te cogitem, doce quibus te sermo-
 nibus inuocem, da quibus operibus tibi placeam. Scio nanq; scio unum quo tu placaris, &
 aliud quod non spernis. Est utiq; tibi spiritus contribulatus sacrificium, & acceptas cor con-
 tritum & humiliatum. His me deus meus, adiutor meus dita muneribus, his contra inimi-
 cum muni protectionibus, hoc de flammis uitiorum præsta refrigerium, hoc autem deside-
 riorum passionibus pande pium refugium. Fac domine uirtus salutis meæ, ne sim de nume-
 ro eorum qui ad tempus credūt, & in tempore tentationis recedunt. Obumbra caput meū
 in die belli, spes mea in die afflictionis, & salus in tempore tribulationis. En domine illumi-
 natio mea & salus mea rogauī quibus egeo, intimaui quæ timeo, sed remordet conscientia,
 reprehēdūt me cordis secreta, & quod amor ministrat, timor dissipat, zelus incitat, metus in-
 crepat. Acta mea formidinē, sed tua ingerit pietas fiduciā: tua hortat benignitas, mea tar-
 dat malignitas. Et ut uerius fatear, occurrūt memoriæ phātasmatā uitiorū, quæ reuerberāt
 audaciam præsumentium animorū. *Caput III*
 Cū enim quis odio dignus sit, qua fron- *7410*
 te gratiam requirit? Cui pœna debetur, qua temeritate gloriam deposcit? Lacescit iudicem,
 qui postposita satisfactiōe delicti quærīt præmijs honorari. Regi insultat obnoxius suppli-
 cio, qui donari flagitat indebito brauiō: & dulcem affectum patris stultus exacerbat filius,
 qui post illatas contumelias, ante pœnitudinē hæreditatis usurpat celsitudinem. Quid mi-
 pater me gessisse recolo? merui mortem, & peto uitā. Commoui regem meū, cuius impudēs
 inuoco præsidium. Contempsi iudicem, quem temere postulo adiutorem. Insolens renui au-
 dire patrem, quem demum præsumo habere tutorem. Heu mihi quā sero uenio, heu heu
 quā tarde festino, heu me quia curro post uulnera, dedignās incolumis præcauere iacula.
 Neglexi prospicere tela, modo uero sollicitor de morte uicina, uulnera uulneribus inflexi,
 quia scelera sceleribus addere non timui. Recenti cicatrices labe respersi, quia prisca flagitia
 modernis iniquitatibus reciprocaui, & quæ diuina solidauerat medicina, mea resoluit pru- *aliās nonis*
 rigo phrenetica. Cutis quæ superducta uulneribus morbum cælauerat, sanie erumpente pu- *Exech. 5. 6. 18*
 truit, quia iterata iniquitas concessam misericordiam exinaniuit. Noui quippe scriptum, In
 quacunq; hora iustus peccauerit, omnes iustitiæ eius obliuiscuntur. Si iustitia aboletur iusti-
 ruētis, quāto magis pœnitētia peccatoris in idipsum reuertētis? Quotiēs canis redit ad uomī-
 tū, & quasi sus repetit uolutabrū? Fateor, quia nihil recordari est impossibile. Quot morta-
 liū ignorātes peccare docui, nolētibus delinquere persuasi, resistētibus coēgi, uolētibus cōsen-
 si? Quot sanè gradientibus laqueū induxi, uia quærētibus foueā retexi, quod ut patrare nō
 horrerem, obliuisci non metui. Sed tu iustus iudex signans peccata, quasi in sacco obser-
 uasti omnes semitas meas, & cunctos gressus meos dinumerasti, tacuisti, semper siluisti,
 patiēs